

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſextâ menſis Novembris, Anno Domini M. DCC. XLVII.

M. JACOBO-LAURENTIO MAUROY,
Doctore Medico, Præſide.

An Febris, Naturæ curationem molientis, inſtrumentum?

I.



QUÆ ex mutuâ functionum corporis inter ſe harmoniâ atque concentu, enaſcitur vitæ vis & actio, nomine Naturæ à Medicis deſignatur. Ab illo rerum, ut vocant, naturalium conſenſu, tot pendent miracula, quot apud antiquos Naturæ adſcribuntur. *In eâ confluxionem unam, conſpirationem unam, conſentientia omnia*, jamdudùm pinxit Hippocrates. Hinc illa naſcitur efficacia quâ ruit altera in alterius auxilium actio, ſeſeque mutuò tutantur, & ab hoſtium undiquè inſultantium injuriis, vindicant acerrimè. Id ſenſere ab ipſis artis incunabulis Medici, quos dudùm in ſui admirationem Natura rapuit, quæ nullo Doctore, nullis informata præceptis, om-

nibus omnia sufficeret, & sese morborum medicatricem profiterètur. Sic ipsi ancillari artem sapiens voluit Hippocrates, ut quôcumque duceret illa, huic vergendum foret, nisi omnia temerè prorsùs & sine consilio vellet instituere. Hujus autem efficaciæ in Naturâ principium duplex; alterum à corporis conditione mechanicâ pendet; alterum ab admirandâ sentiendi proprietate, animali soli concessâ, ducit originem. Proprios utrique causarum generi effectus distiuguere non erit arduum. Quæ enim à solâ corporis mechanicâ oriuntur phænomena, ea corpori cuicumque iisdem proprietatibus prædito communia, vel motum liquidorum spectant, vel eorumdem alterationem. Illud porrò Hydraulices, hoc verò Chymiæ, enodare est. His facem præferentibus & sanguinis circulantis, & alimentorum in sanguinem conversionis mysteria recluduntur. Quæ verò ab animalium actionum fonte derivantur phænomena, ea tot sunt Naturæ conamina quibus aut ad vitam protrahendam, perenni actione nititur, aut ad doloris devitationem ac malorum semina rescindenda efficaciores conatus elicit. Nonnè vides quâ curâ acre inimicum contemperet, eluat, eliminet? Sed minora conamina, si non sufficerent, brevì majora tentantem videbis: quandam in sanitate crisim molietur, & nunc sternutationem, nunc vomitum magno apparatu efficiet. Quid si ulteriùs salutaria ejus insectemur molimina; vix unquam deficere deprehendes. Nunc eadem labanti per pulmones circuitui prospicit, & oscitatione motum sanguinis adauget, nunc intrà musculos hærenti, stimulos incutit; hinc pandiculationes, quarum ea est efficacia, teste Sanctorio, ut dum vigent, » plus intrà dimidiæ horæ spa» tium perspiret homo, quàm per horam alterius temporis.

At nunquam majori molimine hostem adoritur Natura, quàm si utrumque causæ genus, conjuratis viribus in ipsum debellandum uniatur, & sensibilitas adaucta mechanicarum actionum adaugeat efficaciam. Tunc vera Naturæ concitari instrumenta, augeri motus, & hinc effectus ipsius increscere; quæ si in parte tantùm peculiari peragantur, erethismus constituitur: si verò & cor ipsum & vasorum compages partem oneris sibi suscipiant, febris accendetur. Hæc certè Naturæ curantis instrumentum audire debet, si liceat à naturâ curationem expectare.

I I.

ENIMVERO Naturæ curantis efficaciam evincere facile est. Symptomatum enim quæ morbo superveniunt, origo duplex. A causâ morbi pendent alia, alia à vitæ residuæ viribus. Priora causæ lædenti semper proportionalia reperies, & pro diverso ejus impetu, diversâ ferociunt violentiâ. Posteriora, quò sanitatis plus superest, eò etiam plura, in ægri bonum, consentiunt. Ab his illis-vè exuperantibus, certum & constans salutis aut exitii præsagium deducitur. Ex accuratâ enim ipsorum inter se comparatione, an vita morbo prævaleat, an contrà ab ipso oppressa vincatur, elucescit. Hinc illa fluxit à solius naturæ contemplatione pendens, ars antiqua præsagiendi, tam firmis olim nixa principiis, ut tempus & horam, tum mortis tum sanationis præsagire certò Galenus noverit, de quo palàm Philosophus Eudemus exclamabat, vaticinari per Galenum voluisse Pythium Apollinem.

Frustrà quidem Naturæ curantis requiras vestigia, ubi à morbi ferociâ, quasi torrentis impetu abrepti homines jugulantur, ut in foro à peste prostratos meminit Sydenhamus. Sed vulgò in ipsâ ejus etiam oppressione aliqua reluctantis adhuc vitæ signa, ut plurimùm reperias. Sic ipsâ etiam in

morte ſeſe recolligunt, ſic in ultimo virium ſtadio, rigores non recaleſcentes, Natura concitat. Sic, paucæ manant ſtillæ ſanguineæ, infelix criſis, & quæ virium proſtratarum imbecillitatem, in apertum prodat. *Hinc judicatoria non judicantia partim lethalia, partim difficilis judicii* ait Hippocrates, & nil paucum criticum Galenus apertè pronuntiat.

At ubi plus de ſanitate ſupereſt, aut è medio malorum, ſigna ſalutis affulgent optima, quæ ſcilicet circà cruditatem concoquendam, Naturam occupari demonſtrent; ut eſt in urinis craſſities, & mox hypoſtaſis, & cuncta ad ægri euphoriam componantur, ſalutare ferendum erit præſagium: morbus ſanabitur. Verùm cauſis lædentibus proportionale Naturæ conamen non unam curationis viam affectat; alios morbos lentis attenuat ictibus, alios verò, viribus in unam dimicationem collectis, proterit. Priores ut ſecurioribus ſignis incedunt, ſic minore ſolvuntur apparatu; poſteriores ut vitam in apertum conjiciunt periculum, ſic è medio malorum & terroris ſanitatem demonſtrant emergentem. Parvi morbi ſolvuntur ſolùm, magni verò judicantur. At utraque naturæ methodus æqualiter demonſtratur.

Etenim ſi nullos ſolvit Natura morbos, omnes medicamentis curantur; quod illa ſibi non arrogent. Prima eſt & antiquiſſima Medicinæ pars diætetice, quâ ſolâ curari poſſe magnos & plurimos morbos aſſerit Hippocrates; hanc nos non ſcripta ſed innata lex edocuit. Odium ſcilicet craſſioris alimenti febricitantibus incutit Natura; hinc nutrire impura hæc corpora, lædere eſt.

Porrò ſi diætâ ſanantur, nonne totum opus Naturæ adſcribendum? Hâc ſolâ methodo, Naturæque nunc fræna nunc ſtimulos admovendo Sydenhamus, febrem illam quam genuinam primariamque putat, & deſcribit è præſcripto naturæ, ſpatio quatuordecim dierum, deſpumationis tempora peragentem, tollere conſueverat; talem pinxerat Hippocrates in Thaſo, annotante Clar. Freind. Ab Hippocratis igitur ævo ad uſquè Sydenhami tempora, Naturæ ſolius ope curabatur hæc febris, nec ullum ad ipſam debellandam innotuit Sydenhamo ſpecificum; quis autem à Clar. Viri temporibus breviorem ipſam quatuordecim diebus effeciſſe audeat gloriari? Nec ſolum è morbis hunc eſſe credideris, cui non alios ars novit limites imponere, quàm quos imperat ipſis Natura. Magnum eſt quod jam mitiùs & molliùs ſub artis imperio ſua tempora peragant. Quid demùm ſi Natura morbos non ſolvit, aut ab anni tempeſtate, aut ab ætate ſperandum habemus? Vere dum natura recluditur, omnes qui per hyemem viguêre morbi fugantur, & diſpereunt. Quartanas arti rebelles ver ſolvere videbat Sydenhamus. Pariter, in quam vix aliquid Medicina poteſt, juvenilis epilepſia ad annum vigeſimum, ex Hippocratis obſervatione terminatur. Hinc qui in juvenibus tam facilè coquuntur catharri, ſenibus commoriuntur, Naturâ ſcilicet ſeneſcente.

Nec fas erit ſalutari depulſos judicio morbos non agnoſcere. In criſibus eadem legum conſtantia reperitur, eadem cauſæ morbificæ analogia, efficacia eadem.

Conſtantiam legum in criſibus ex earum doctrinâ erit deducere. Hinc fuit olim ars criſes prædicere. Sic generatim in vigore morbi accidunt, aut incremento; ſi non præceſſerit coctio, in mortem certò terminantur. Si coctio prægreſſa ſit, omnia in tuto ſunt poſita: neminem ablatum morbo vidit Galenus, in quo coctionis ſigna prægreſſa fuerant; eamdem demùm conſtantiam legum in criſibus id unum demonſtrat, quod quæque criſes ſua ſigna ſibi propria habeant, quæ ſi generalia tantùm & omni criſi communia apparuerint, alvum fluxuram certò prædixeris.

At morbo ſervare debent analogiam: præter rationem levantibus, non

usquè fidendum. Pituitosis morbis familiares sunt sudores, ardenti febri aut phrenitidi sæpè & pleuritidi dicatur Hæmorragia: lethargus per abcessum judicatur, abcessus longis pariter febribus peculiariter dicatur.

At demùm crisium ea est efficacia, ut dùm morbum tollunt, si cohibere ipsas arte præposterâ volueris, vel ægrum ad extrema redigant, vel sæpè etiam nullâ arte præpediri possint. Prius quidem demonstrat abcessuum delitescentium noxa, apud coacas prænotiones adeò iufamis. Posterius verò evincit inter alias pulcherrima Swietenii observatio de viro periculosissimâ anginâ laborante, cui parùm aut sectæ in talis & brachiis venæ, aut nuchæ & scapulis scarificationes adhibitæ profuerant, dum morbum solveret copioso fluxu superveniens hæmorragia. At in his, si veteribus parùm fidas, omninò demonstrationem perficiet eruptivorum morborum doctrina; an, eruptionem arcere, Medicis datum, aut factam sine magno discrimine repellere? Contemplatur Medicus naturam, & nunc illam speculator otiosus curantem admiratur, nunc tardat præcipitem aut impellit morantem. Tot rerum momentis perculsus ex altiori meditatione Sydenhamus concludit. „ Errare illum, sed errore non erudito, qui Naturam artis adminiculo semper indigere existimat; namque id si fieret, parciùs illa humano generi prospexisset, quàm postulat speciei conservatio, cùm nec minima sit proportio inter morborum ingruentium frequentiam, & facultates quibus pollent homines ad eosdem fugandos, vel iis sæculis quibus ars Medica maximè caput extulit.

I I I.

AT variâ symptomatum larvâ sese ex oculis scitantium Naturam subducere ne credideris. Quò simplicior est mechanismus, eò dignitatem artificis magis arguit. Sive solvatur morbus, sive subitâ crisi tollatur, utrumque hoc febris perficit.

Enimverò quid est febris præter intensioris vitæ efficaciam? Motus cordis & arteriarum, sanguinis efficiens circuitum, vitæ ideam absolvit; febrim verò motus idem, sed intensior, constituit. Causa eadem est, ergò & effectus iidem. Porrò totis in id unum viribus, incumbit Natura, ut cruda, parvâ simul copiâ, intrà sanguinem delata concoquantur, sive quod idem est, ità alterentur, ut quæ in animalem assimilari substantiam possunt, in ipsam vertantur, partes verò huic mutationi impares, debito ordine, copiâ, qualitate, excernantur. Si ergò rerum externarum vitio consuetas naturæ vires aliquid superaverit, id superest, ut semper magis magisque lædatur homo, vel quâcumque demùm arte natura vires intendat, novosque conatus exerat; quos si debilior negaverit, fit τροφη ȣ τροφη, sive non vertitur in alimentum, alimenti materies, aut non expulso quod redundabat, jam aliquid à nativâ principiorum contemperatione excedit, eminet & per se existit. Adest ergò ἀκρητόν, ειλίκρινες Hippocraticum quod per se naturæ adversatur. Irritata igitur natura orgasmos, erethismos, febres concitat, & vires ex ipsorum penu depromit. Mirum certè artificium ab Hippocrate per observationem deprehensum, à Sanctorio per stateram demonstratum, à recentioribus demùm per mechanicas sanguinis circulantis leges enodatum. Febrem ergò, quæ robustior est Natura, tardiùs; celeriùs verò, quæ debilior est, advocat; nonne vides ut dura messorum ilia secalinum panem vix fermentatum vorent, nec lædantur tamen? Lac verò quod parvâ copiâ phtysicus ebibit, ipsi febriles æstus commovet. Usque adeò verum est Hippocratis effatum illud; alimentum unum & non unum. Hinc medicamenta debilium, robustis vertuntur in alimoniam, hinc pendet illa, quam primus mortales idem

edocuit, alimenta inter & exercitium, ut potè Naturæ robur addens, servanda proportio, staterâ posteà Sanctorianâ confirmata at stabilita. Atenim si rem propiùs scrutemur, causâ solâ differt ab exercitio Febris. Hoc naturale quoddam Febris genus constituit, hæc præter naturale exercitium. In eo supplet erethismum motus musculorum, in illâ motum musculorum supplet erethismus; utrique verò communis est vitæ intensitas: unde effectus iidem, stagnantium agitatio, crudorum coctio, redundantium expulsio.

Præterea verò ita presso pede Naturæ vires in morbis Febris insequitur, ut instaurata harum instauratarum indicium sit certissimum, oppressis à plethorâ, pariter òpprimatur, à morbo devictis, evincatur, elanguescentibus, elanguescat, febremque in hoc triplici casu, dum Medicus salutem præfert, accendat.

Oppresso à plethorâ motu cordis, impeditâ vasorum meabilitate, languet sanguinis circuitus. Jam verò restituatur per scalpellum Chirurgicum, sanguini effugium, Febris accenditur. Nunquam autèm ardentiorem se vidisse refert Sydenhamus, quàm quæ in oppresso anteà juvene, post venæ sectionem sequebatur. Hoc titulo variolarum eruptioni favet, dùm vasorum restituit actionem, & minorum à majoribus compressionem tollit. Hinc ipsâ prægressâ per corporis aream dispersas mirantur practici vesiculas; sicque liberatis Naturæ viribus ipsas adauget idem auxilium, quod totiès easdem arte præposterâ pessimè imminuit.

At si præ debilitate langueant illæ, si oneri ferendo impar Natura febrem aut nequeat excitare, aut talem tantùmmodò concitet, quæ causæ morbificæ debellandæ non sufficiat, adsunt in arte auxilia, quæ vires excitent & naturam ad opus videantur revocare. Hæc roborantium nomine generico designata, resides propellunt humores, tono solidis addito. Hinc facilior quæque secretio, coctio perfectior. Hæc olim in variolis adeò decantata rectè quidem ad ipsarum eruptionem conferre possunt, si propter debilitatem natura ipsam renuat perficere; at pessimi veneni titulo rejicienda sunt, si ob vires oppressas aut compressa vasa variolæ nequeant erumpere. Scilicet per auctum cordis & arteriarum motum potissimùm agunt. Hæc est ergò ipsorum actio ut febrem excitent, & vitam adaugeant. Unde ipsorum ope damna per præposteras vacuationes inflicta reparabat Sydenhamus. His pariter utimur in chronicis dùm elanguido vasorum tono nescit agere natura & per irritantia febrem salutarem inducimus. Usu illorum pravo febres intermittentes in continuas & ardentissimas verti visæ sunt, in Rusticis præsertim, qui ipsis ad promovendos sudores abutebantur. Hinc solo Theriaces incongruo usu, quartanam simplicem in triplicis naturam vertendam, prædixerat, ut evenit, Eudemo, Galenus.

Quod si verò devictæ vires fuerint à materiâ morbi, aut tantæ veneni quantitati expugnandæ, conamina Naturæ non respondeant, tùm exundat undequâque morbi materia nec dubiis se putredo prodit indiciis, pulsus elanguet, torpent vitalia; in omnia sese insinuat viscera mali labes; hinc stomacho nausea, cerebro deliria, inconditi musculis motus & subsultus, tùm undique judicatoria non judicantia, pustulæ, vibices, petechiæ. Turgere materiam tunc cum Hippocrate verè dixeris, artisque celerrimam opem implores, minuendæ sunt undequâque hostis copiæ, & foras quâcumque educendæ. Quidquid detrahes, virium augmento detrahes; hinc in pessimis hujusmodi variolis catharticorum & cantharidum efficaciam prædicat Cl. Freind. Hinc illa olim in peste tanto successu adhibuit Hercules Saxonia; & meritò, cùm & simul pulsui per morbi dominium debilitato excitando apta nata sint,

& materiæ morbificæ effugium ſimul efficaciter procurent. Hinc igitur quoties oppreſſa, debilitata, devicta, eſt Natura, febris pariter opprimitur, debilitatur, evincitur; uno verbo proportionales ſunt naturæ viribus, febris vires; & hinc in bonis judicationibus pulſus evidenter fieri vehementiores Galenus annotabat; ab eâ igitur quæ concitantur ſymptomata tot ſunt agentis naturæ ſigna; nec illa meliori jure terrere Medicos poterunt, quàm quæ criſi, coctione prægreſsâ, jam apparituræ, ſuperveniunt.

Non ea ergò ſymptomata quæ morbo febrique conſona apparebant, antiquos terruere; ſed ea quæ ab ægri naturâ aliena, & oppreſſam febrem & deletas naturæ vires demonſtrabant; ſic phrenitidi ſupervenire comata ducebant exitioſum, aut eadem in vehementer trementia finiri; quis non ægro ſummoperè timeat, ſi calidiſſimo morbo ſupervenire frigus viderit? Tùm, niſi tamen criticè excitatur, æquabilem vaſorum meabilitatem periiſſe id indicio eſt. Hinc author Prorrhetic. ait, lethalia cenſenda ſunt ea frigora, quæ calidiſſimis morbis ſuperveniunt. Unde aduri interiora, exteriora verò frigeſcere, exitiale omninò cenſebant, ut & in ardenti morbo non ſitire ægrotatem, ut pote quod aut ſenſum abolitum, aut vires elanguidas, omninò prænuntiaret. Idem ex ſingulis ipſorum præſagiis apparebit. Generatim pulſus fit à Facultatis robore, inquit Galenus, qui quò robuſtior eſt eò ipſam robuſtiorem indicat, languidiſſimus verò, tardiſſimus, rariſſimuſque ominis peſſimi. reſpirationis facilitatem magnam vim ad ſalutem habere in iis morbis qui cùm febre ſunt, ſcribit Hippocrates, & timere vetat in arte præſagiendi poſt Hippocratem & Galenum fortè maximus Proſper Alpinus, in iis morbis in quibus pulſus magnitudo, reſpirationis libertas, & ciborum appetitus in ægri ſanationem conſenſerint.

I V.

NEC certè ulla erat ratio, cur febris tanto exciperetur animorum terrore. Dudùm enim obſervatione deprehenſum fuit & ipſam ſæpe optimarum in corpore mutationum cauſam eſſe, imò & quæ in ipſam conjiciuntur crimina, ea ut plurimùm, vel ab intenſiori illius gradu, vel ab ejus cauſæ malignitate eſſe repetenda.

Enimverò quàm ſalutari Naturæ molimine inducatur febris, nemo diffitebitur, qui quot ab ipsâ morbi expugnentur, quot-vè ab eâ imprudentiùs cohibitâ, damna ſæpe inſurrexerint, nobiſcum collegerit. Sive enim acutorum affectuum ſive chronicorum catervam luſtraveris, idem erit. In acutis enim nonne quotidianum eſt illud, diris ſtipatum ſymptomatibus, frigus febrile à calore proportionali tolli, quamdiù valet Natura & potis eſt vim vi repellere? Hinc omina quæ peſſima ferebantur, tempore frigoris, omnia ſi tandem calor emergat, evaneſcunt irrita. Nullum unquam à febre intermittenti ſublatum videris, qui ſemel ad caloris ſtadium pervenerit, annotante Sydenhamo. Sed quid atrociùs, quid per motus abſurdos humanitatem magis terreat convulſione? Ità à febre tollitur, dictitante ſic Hippocrate, ut illi nihil ſit metuendum cui convulſo febris quæ non adfuerat antea, ſupervenit, aut jam anteâ exiſtens, exacerbatur. Nec mirum: convulſiones illæ, & artuum jactationes, Naturæ ſanguineum molientis circuitum, ſunt ut plurimùm conamina. Sed horum efficaciam febris actioni ne contuleris? Hæc quantò invadunt impetu, tantâ celeritate deferveſcunt. Febris verò, lento æquabili, continuato nixu, materiam ſenſim ſine ſenſu contundit, attenuat, & vires tempore compenſat. Quid? Si aliud acutorum genus contemplemur, lethargos, comata, ſomnos præternaturales; majus horum periculum indè deducetur, quòd febre careant; imò ipſi è naturâ ſuâ adverſentur. Horum prin-

ceps apoplexia jam solutioni proxima est ubi febrim Natura valet excitare, ex oraculis Hippocraticis. Idem de crapulâ monuit. At in chronicis non minori ægrotantis bono, febris sæpe sæpiùs accenditur. Quis arti rebellem non ingemuerit epilepsiam? ipsiùs tamen à quartanâ sanatæ, habentur exempla. Nullum causarum varietate, aut periculi immanitate, mali genus metuendum magis, cordis palpitationibus, has tamen in seipso à quartanâ sanatas refert Cl. de la Hire. Nec plura addam de modo quo eadem ad longævitatem disponit, ex observatione Boerrhaavianâ. Quid multa? Id generatim asseri potest, quòd in chronicorum curatione febris tanti sit pretii, ut ipsam datâ operâ quoties incumbit peragenda curatio, accendant practici. Nec aliâ agendi ratione chronicorum affectuum Mars audit Panacæa. Aliunde à febre incautiùs suppressâ, quot mala pendeant nos edoceat Cl. Van-Swieten. Hic importuno Kinækinæ auxilio supervenisse refert, inania per menses naturæ conamina, pandiculationes, oscitationes, Borborygmos. Hæc enim longo tantùm temporis tractu perficiebant, quod paucis diebus à febre perfectum fuisset. Imò mortem ipsam febri incautè suppressæ supervenisse author idem est; dum enim febri intermittenti compedes injiciebantur, deposita in hepar morbi materia ipsum lentâ tabe peredebat, & primo vere actis in motum liquoribus, colliquefaciebat. Quàm atrocia mala, quàm celeri passu superventuram mortem censes; si febrem variolas molientem suppresseris? Si contrà Naturæ manum porrexeris, brevì omnia in tuto posita deprehendentur. His argumentis febrem expetendam esse quotiescumque materia morbifica corpus opprimit, demonstrasse nos confidimus. Id superest ut tantorum ream malorum à crimine vindicemus.

Et certè quantumvis sæpè horribili aspectu timenda appareat; hæc tamen symptomata ex ejus essentiâ dicenda non erant. Pleraque in causam refunduntur. Scilicet hæc vel febri potentiùs obstat, vel nervei principii vires obtundit, vel contrâ ut, læso tendine, in abnormes & convulsivos motus abripit. Tam effera mala, in causam conjicias, non in febrim. Febris ipsa gradu tantùm peccat, qui si debilior, expugnando morbo reperitur impar; si violentior, mala plura profert, vel à liquido nimioperè expanso vel à subtilissimi liquidi dissflatione pendentia. A priori, exurens ardor, variarum partium pressio, humorum putrida degeneratio. A posteriori, ingens ariditas, & immeabilitas liquidi. Unde in minoribus vasculis stases, corruptiones, in majoribus anxietates, tot mortis, ut ita dicam, elementa. At nonne liquidis nimioperè rarefactis injici compedes potuere, aut in locum deperditi tenuissimum suppeditari fluidum? Victum humidum febricitantibus omnibus ideò convenire dixit Hippocrates. Nonne spissum illud inflammatorium lenissimis Boerrhaavii saponaceis attenuari? At quæ pessima ab hâc posteriori origine inducuntur mala, quandiù fervet febris, non apparent, sed ab ipsâ defervescente inducuntur. Ubi verùm in ardentissimo morbo pulsus elanguerit, phrenitica in vehementer trementia abierint, ubi decubitu supino, sparsis neglectim artubus, ore hiante, prostante collo, jacuerit æger, tunc conclamatum est, febreque per morbum devictâ, Natura brevì devincetur.

V.

PLURIMA quidem Naturæ tribuimus; nihil tamen artis dignitati detrahi credas, aut ipsius operam vilescere. Sibi tantùm noceant qui calumniantur illam; nos ingenti ejus amore perculsi, ipsam promovere omni ope atque operâ contendamus. Naturâ curante, non minor negotii pars regenda Medico adhuc incumbit. Tot undique arcendi hostes, tot removenda impedimenta; vulneris labra suo glutine adunat Natura, at jungenda priùs aptè fuerant, & in situ retinenda. Frustrà callum ossi fracto tentet

inducere, nisi priùs arte Magistrâ in suum fuerint locum reposita & cohibita. Jamdudùm carnis generandæ opificem Naturam Galenus dixerat; illam certè nulli mortalium contigit imitari. At aderat regenda suppuratio, aderant præcavendæ tot incumbentium undique exteriorum injuriæ. Dum febris Naturæ præcepta servat, lenique passu incedens, nec stimulis indiget, aut fræno; diætam adhuc præscribere rectamque rerum externarum moderationem, non concessum omnibus. Hos maximè probabat Hippocrates Medicos, qui in diætâ præscribendâ non errarent, tùm & illos non minini faciendos putabat, qui quàm minimùm errarent. Hinc tot illiùs circâ hanc dirigendam præcepta. Generatim gravia magis peccata ab inediâ, quàm à paulò majori copiâ pendere. Tunc tenuissimam esse præscribendam, ubi morbus ad summum pervenerit à principio statim minuendam, adaugendam sensim in declinatione. At cibum semper ægroto paulò gratiorem quantùm-vis paulò deteriorem, esse præferendum. Ætati, denique, tempestati, consuetudini, morem esse gerendum. At vulgò habet aliquid ars salutaris quod addat aut detrahat. Porrò quantùm in regendâ Naturâ, consilii requiritur, atque prudentiæ, tantùm maturè festinantis audaciæ ne quid aut præcipitantiùs aut timidè nimis instituatur. Occasio præceps. Hinc verum Medici honorem in eo repositum asserebat Boerrhaavius, ut sese obsequentem diceret Naturæ servulum. Nec tamen meram mortis meditationem nobis exprobret Asclepiades; servitutis vincula licet aliquandò perrumpere. Imò fortis est Medici Naturam interdùm spernere, hinc inter ejus antistites, quo vix obsequiosior alter, Sydenhamus ipsi aut in peste aut in pleuritide fiduciam adhiberi vetabat; sed in illâ protractis per 24 horas sudoribus fidebat unicè, in hâc verò scalpello Chirurgico curationem perficiendam relinquebat,

Quin imò ipsam aliquandò errantem in viam revocari, ultrò fatebimur. Nocet aliquandò à causâ absurdâ concitata febris, & ipsam accendi ominosum. Hinc parvo vulneri ipsam supervenire, Celsus habet exitiosum, nec mirum: cùm vel nervos vel tendineas exquisitæ sensilitatis partes, læsas esse, non obscurè significet. A retractione enim fibrarum dolor ingens, qui totam humanitatem disturbat; tunc omnia susdeque ferri, febris accendi, causæ quidem tollendæ dicata, sed impar. At ferociet illa donec à morte proximâ vincatur, & machina dissolvatur omninò. At sublatâ causâ, sedatoque Naturæ dolore, tum febris pacatur, quæ cùm nullam causæ lædenti mechanicam connexionem obtineret, ab errantis etiam Naturæ viribus fuisse concitatam concludendum est.

Ergò Febris, Naturæ curationem molientis, instrumentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Paschasius Boric.	*M. Franciscus-Nicolaus Gautier.*	*M. Henricus-Franciscus Bourdelin, Scholarum Professor designatus.*
M. Ludovicus-Florentius Bellot,	*M. Franciscus Bidault.*	*M. Achilles-Franciscus Fontaine, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*
M. Ludovicus Pathiot.	*M. Joannes-Claudius Munier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, & Domûs Regiæ Invalidorum.*	*M. Joannes-Baptista Chomel, Medicus Regis ordinarius & rei Herbariæ Professor.*

Proponebat Parisiis ANNA-CAROLUS LORRY, Parisiensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1747, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1747.